

4. Urteil der Apostolischen Signatur

Prot. N. 19391/87 C.A.

PASSAVIEN.

Iuris patronatus

(Comes von Deym – Congregatio pro Clericis)

SENTENTIA DEFINITIVA

IOANNE PAULO II feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno XII, die 2 iunii 1990, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis PP. DD. Achille Silvestrini, Praefecto, Bernardino Gantin, Aloisio Dadaglio, Rosalio Josepho Castillo Lara, Eduardo Gagnon, Alfonso Maria Stickler, Ponente, in causa Passavien.,

inter recurrentem D.num Graf von Deym, repraesentatum per advocatum-procuratorem, Cl.mam Martham Wegan, et resistentem Congregationem pro Clericis, repraesentatam per advocatum-procuratorem, Rev.dum P. Salvatorem Peperoni, OFM, interveniente in causa Rev.mo P. Velasio De Paolis, C.S., Promotore Iustitiae deputato, hanc tulit definitivam sententiam.

FACTISPECIES

1. Die 6 mensis februarii 1984 Rev.mus Vicarius Generalis Dioecesis Passaviensis communicavit Comiti Josepho von Deym ius praesentationis pro ecclesia paroeciali in loco Arnstorf sita et pro beneficio Loci Jägerndorf dispositionibus M.P. "Ecclesiae Sanctae" extinctum esse, quippe cum ageretur de privilegio proveniente ex iure patronatus non oneroso. Advocati Comitis litteris die 15 mensis ianuarii 1985 ad Vicarium Generalem missis hanc extinctionem iuris reiecerunt. Vicarius Generalis Dioecesis Passaviensis a iurisperito professore Listl deinde votum expetivit, qui, die 17 maii 1985, iudicium expressit non agi in casu iurispatronatus dicti comitis de privilegio oneroso; quapropter extinctionem iuris praesentationis recte statutam esse.

Die 10 iulii 1986 advocatus comitis von Deym respondit votum professoris Listl non rectas conclusiones maturasse quia documenta quae indolem onerosam patronatus demonstrant deerant; haec tamen ex archivo familiae comitis suppeditari. Prof. Listl tamen huiusmodi documentis nullam vim probativam agnovit votumque proprium confirmavit, quae confirmatio a Vicario Generali Dioecesis Passaviensis advocato comitis die 22 septembris 1986 transmissa est.

Iste die 26 eiusdem mensis et anni iterum reiecit illud votum et revocationem dispositionis extinctivae expetivit. Petitione reiecta, advocatus comitis a Vicario Generali ad Episcopum recurrit; hic autem, iurisperito Listl in sententia sua perseverante, die 4 mensis decembris 1986, confirmavit dispositionem Vicarii sui.

Comes von Deym deinde per Patronum suum die 19 decembris 1986 recursum ad Congregationem pro Clericis instituit, ut dispositio Episcopi Passaviensis irrita declararetur et ita iura patronatus sarta tectaque servarentur. Qui recursus ab Episcopo Passaviensi die 8 ianuarii 1987 Congregationi pro Clericis transmissus est. Eadem Congregatio, examinatis documentis a partibus transmissis et voto consultoris, die 28 martii 1987 decretum tulit, quo recursus reiectus et decisio Episcopi Passaviensis confirmata est.

2. Patronus comitis die 19 maii 1987 contra hoc decretum, cuius exemplar die 6 maii receperat, ad huius Signaturae Apostolicae Sectionem Alteram recurrit. Memorialibus Patronorum et voto Promotoris Iustitiae deputati receptis necnon Memoriali responsionis a Patrona partis recurrentis exarato, hoc Supremum Tribunal, in Congressu die 20 octobris 1989 coram Em.mo Card. Praefecto habito, recursum ad disceptationem coram Patribus Cardinalibus admisit et die 19 decembris eiusdem anni dubium concordatum est hac sub formula:

«An constet de violatione legis vel in procedendo vel in decernendo relate ad actum Congregationis pro Clericis diei 28.3.1987, prot. n. 180187/I confirmantem decisionem Exc.mi Episcopi Passaviensis diei 4.12.1986».

Exhibitis novis memorialibus a Patronis partium et voto pro rei veritate, ad quod Patrona recurrentis respondit, praefato dubio respondendum est.

IN IURE

3. De notione, privilegiis, oneribus, extinctione patronatus praesertim ex vetere iure quaerendum est, quia in novo Codice ius patronatus non amplius consideratur; quaedam tamen de privilegiis et oneribus aliisque antea cum iure patronatus conexis ex iure vigenti quoque eruenda sunt.

In can. 1448 veteris Codicis quaedam definitio patronatus datur: est summa privilegiorum, cum quibusdam oneribus, quae ex Ecclesiae concessionem competunt fundatoribus catholicis ecclesiae, cappellae, aut beneficii vel etiam eis qui ab illis causam i.e. ius habent. Ad notionem ergo duo pertinent: privilegia et onera propter quae privilegia concessa sunt.

Praecipui tituli ob quos iurispatronatus concedebatur, habentur iuxta doctrinam classicam in donatione fundi pro aede sacra aedificanda vel in aedificatione aedis sacrae vel in dotatione aut etiam in solius dotationis augmento.

Hoc ius patronatus ex natura sua est onerosum. Quia tamen exceptionaliter etiam datum est ut merum privilegium gratiosum sine oneribus per se adnexis, mera ergo liberalitate concessum, habetur aliquando etiam patronatus non onerosus. Patronatus potest esse ecclesiasticus vel laicalis prout titulus patronatus est ecclesiasticus vel laicalis. In hoc ultimo casu praesertim potest esse etiam hereditarius si ad heredes transit.

Ius patronatus admittitur tantum si eiusdem authenticitas documentis aut aliis legitimis probationibus evincitur (cfr. can. 1454 C.I.C. 1917), inter quas eminent probatio privilegiorum cum patronatu conexorum i.e. possessio centenaria vel immemorabilis, quae praesumptionem inducit concessi privilegii (can. 76, §2 C.I.C. 1983), quapropter neganti privilegium probatio non concessionis aut non existentiae incumbit.

Privilegia patrono spectantia sunt praesertim praesentatio clerici ad ecclesiam vacantem vel ad beneficium vacans et iura honorifica ut stemma proprium et sedes dignior in ecclesia (cfr. can. 1455 C.I.C. 1917).

Onera iurispatronatus, ex quibus etiam factum onerositatis patronatus recognosci potest, haec sunt praecipua: edificare denuo ecclesiam collapsam aut reparationes necessarias in eadem facere si ex titulo aedificationis ius patronatus provenit et nisi onus denuo aedificandae vel reparandae aliis vel antea aliis incumbit ut ex veteris Codicis praescripto eruitur (cfr. cann. 1186 et 1469, §1, 2° C.I.C. 1917). Deinde Patronus supplere debet redditus necessarios si forte defecerint, quotiescumque ius patronatus ex titulo donationis ortum est. Haec necessitas sese extendit ad cultum decenter in ecclesia exercendum vel ad beneficium utiliter conferendum (cfr. can. 1469, §1, 3° C.I.C. 1917). Si neque reaedicatio neque restauratio neque reddituum augmentatio necessaria est, propter hoc ius patronatus non aufertur, quia omnia privilegia quae in iurepatronatus comprehenduntur perpetua sunt, nisi aliud expresse constat, quod probari debet (can. 78, §1, C.I.C. 1983).

Qua de causa etiam de iure cessationis privilegiorum patronatus tractandum est. Ex iure veteris Codicis eruitur quod patronatus ideoque eiusdem privilegia propria cessant variis ex rationibus; si reaedificatio vel restauratio vel redituum augmentatio debitae intra tempus, ab Ordinario sub poena cessationis patronatus praefiniendum, a patrono non sunt factae; deinde si patronus iuri suo renuntiaverit et haec renuntiatio a competenti auctoritate fuerit acceptata (can. 80, §1 C.I.C. 1983); si S. Sedes ius patronatus vel privilegia conexa revocaverit; si ius patronatus legitime praescriptum fuerit; si in casu patronatus hereditarii heredes extincti sunt; si aliter obiectum aut iura patronatus extincta aut delicta commissa sunt, quae privationem aut extinctionem secumferunt, de quibus omnibus can. 1470 veteris Codicis tractat.

4. Nunc autem alia quaestio, praesertim pro nostra causa magni momenti, tractanda est scilicet quaenam privilegia et iura iurispatronatus post Codicem veterem a. 1917 sublata sint aut extincta. Ante omnia dicendum est quod nova legislatio ius patronatus per se non suppressit. Ergo quaerendum est, quaenam privilegia et iura ex vetere iure cum iure patronatus collata sive iure posteriore et praesertim a Concilio Vaticano II et legislatione executionis Concilii sive a novo Codice abrogata sint, ideoque utrum et quinam patronatus practice et implicite suppressi et extincti sint aut saltem iura quaedam cum patronatu conexa.

Praemittendum est quod iam a Codice praecedenti constitutio novorum patronatus iurium ullo titulo prohibita est sub poena invaliditatis. Nihilominus loci Ordinarii quaedam iura partialia patronatui similia concedere potuerunt (cfr. can. 1450 C.I.C. 1917). Sed eodem tempore iidem Ordinarii renuntiationem iuris patronatus ex parte patronorum curare debuerunt offerendo loco eius iura spiritualia. Idem Codex normas taxativas pro exercitio iurium a patronis renuntiare nolentibus statuit (cfr. can. 1451).

Concilium Vaticanum II tamen abrogationem omnium iurium quae curae animarum nocumentum afferre et libertatem Episcoporum in conferendis officiis coarctare potuerunt postulavit praesertim iurium, privilegiorum, consuetudinum, clausularum circa electionem, nominationem, praesentationem ad officia et beneficia quaecumque.

Anno 1966 normae datae sunt a S. Pontifice Paulo VI M.P. "Ecclesiae Sanctae" ad exsequenda Concilii Vaticani II decreta, inter quas habentur eae quoque quibus iura et privilegia in conferendis officiis et beneficiis supprimuntur. Hae normae, pro causa nostra maximi momenti ideoque bene perpendendae, continentur in n. 18 eiusdem M.P.

In §1 abrogantur privilegia non onerosa, quae ius electionis, nominationis vel praesentationis pro quocumque officio (non consistoriali) vacanti secumferunt et consuetudines et iura nominandi, eligendi, praesentandi presbyteros ad officium aut beneficium paroeciale. In § 2 iura et privilegia, in hac materia constituta vi conventionis inter Apostolicam Sedem et Nationes aut vi contractus, cum personis sive physicis vel moralibus initi, subiiciuntur tractationibus inter eos quorum interest, ut ad cessationem perveniatur.

Ex his normis concluditur quod privilegia onerosa omnia eximuntur ab abrogatione. Qua in re notandum est quod haec distinctio inter privilegia onerosa et non onerosa non a Concilio sed solummodo a normis executionis introducta est, certo certius quia ex suppressione privilegiorum onerosorum etiam onera, pro quibus privilegia concessa erant, supprimerentur quod saepe in grave damnum Ecclesiae fieret. Quod ergo dicitur de "consuetudinibus" quae abrogantur et de "iuribus" quae tolluntur circa nominationem, electionem et praesentationem presbyterorum ad officia aut beneficia paroecialia non extendi debet ad privilegia onerosa cum patronatu conexas, quippe cum de iuribus ex privilegio ortis iam supra sermo factus sit.

Quod confirmatur etiam illa doctrina classica, qua privilegia onerosa ex patronatu orta semper implicant contractum, vel, sicut perbelle Leurenus dicit: “istiusmodi privilegia, scilicet onerosa ex patronatu, in vim contractus transeunt”.

Quapropter iis applicanda est norma § 2 n. 18 M.P. “Ecclesiae Sanctae”, quae dicit quod si privilegia et iura in hac materia vi contractus constituta sunt, de eorum cessatione cum iis quorum interest, agi debere. Quod omnino conforme est doctrinae classicae quae affirmat derogationem patronatus laicalis ex privilegio oneroso numquam dari absque expressa mentione.

Quae doctrina confirmatur etiam ex iure novi Codicis. In eo enim adhuc praesentatio ad officia in genere sustinetur quatenus in Libro I, Tit. IX, art. 2 de praesentatione ad officium tractatur, quae exerceri potest ab eo, cui ius praesentandi competit (can. 158, §1), qui potest esse etiam collegium aut coetus personarum (§2). Et insuper in provisione officii paroecialis item expresse a novo Codice admittitur praesentatio, quia can. 523 dicit quod etiam aliis ac religiosis ius praesentationis aut electionis esse possit.

Haec privilegia ergo cum patronatu oneroso conexas constituunt iura quaesita et privilegia ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive iuridicis concessa adhuc in usu nec revocata, quae sustinentur a novo Codice et integra manent (can. 4). Neque eis quis renunciare potest, nisi renunciatio a Sancta Sede acceptatur (can. 80 §1). Si autem temporis progressu rerum adiuncta ita iudicio Sanctae Sedis immutata sint, ut privilegia noxia evaserint aut eorum usus illicitus fiat, Sancta Sedes de hac cessatione iudicare debet (can. 83, §2).

5. Fusius dicta breviter nunc recolare liceat: Non ex omni indulto praesentationis a Sancta Sede dato oritur ius patronatus (cfr. can. 1471 C.I.C. 1917). Sed patronatus semper cum summa privilegiorum connectitur, inter quae eminet privilegium praesentationis, et insuper ex natura onera secumfert.

Quare privilegia patronatus sunt per se onerosa (patronatus onerosus) quamvis exceptionaliter etiam patronatus collatio ex liberalitate mera, ergo absque onere conexo habita sit, quod tamen in singulis casibus probari debet, ut iam clare statuit decisio Congregationis pro Clericis diei 24 iulii 1928 pro iure patronatus in Hispania lata: "titulo gratuito non probato aut dubio manente, patroni oneribus satisfacere debent".

Privilegium onerosum oritur ex contractu implicito, constituit ergo strictum ius inter partes. Ecclesia huiusmodi iura semper magni habebat, praesertim si laicis data fuerunt pro oneribus in favorem Ecclesiae assumptis.

IN FACTO

6. His in iure praemissis nunc causam de qua agitur facile diiudicare possumus: Fundamentalisi quaestio consistit in eruenda indole patronatus comitis von Deym, utrum enim onerosus sit an non onerosus, quo in casu non onerositas a parte resistente probari debet. Peritus partis resistentis enim omne argumentum pro non-existentia patronatus seu pro cessatione privilegii praesentationis vi patronatus obtenti ex eo trahit quod non sit onerosus.

7. Uti supra in iure exposuimus, ex natura sua omnis patronatus est onerosus. Quoad patronatum comitis von Deym ex documentis in archivo familiae exstantibus et ex historia familiae von Closen, a qua ille patronatum hereditate acquisivit, necnon ex aliis factis notis constant quae sequuntur:

Equites von Closen in illa regione inde ab initio saeculi XII dominium saeculare exercebant et in propriis fundis, ante omnia in territorio paroeciae Arnstorf, ubi sedem propriam habebant, ecclesias aedificaverunt, quae iuxta morem illorum temporum ecclesiae "propriae" evaserunt, quarum fructus, et praesertim decimae, dominis fundi in proprietatem cesserunt. D. ni von Closen decimas plurium ecclesiarum illius regionis tamquam proprias perceperunt, quod factum eos dominos fundorum et etiam fere semper aedificatores ecclesiarum necnon dotis beneficiorum donatores fuisse demonstrat.

Post transformationem ecclesiarum propriarum in patronatus, inde a fine saeculi XII, iura proprietatis in iura patronatus transformata sunt, inter quae eminet ius praesentationis pro officio et beneficio, officio adnexo, una cum oneribus aedis conservandae et sustentationis ministerii sacri et eius ministri; quae iura familia von Closen in pluribus exercebat ecclesiis. Inter ea eminebat paroecia et patronatus Arnstorf, ubi familia sedem propriam habebat.

Cum in prima medietate saeculi XV, sub Albano von Closen, Episcopus Passaviensis, privilegium familiae von Closen negligens, parochum ecclesiae Arnstorf libera collatione instituerat, haec ipsa ab oneribus restaurandae ecclesiae sese retrahebat; sed postea ad Sanctam Sedem recurrit, ut propria iura sarta tectaue servarentur. Nicolaus V die 14 aprilis 1453 iudicem instituit, qui recursum examini subiiceret. Successor eius i.e. S. P. Calixtus III, die 17 maii 1455 ius patronatus familiae Closen admisit, recognoscens explicitè familiam von Closen ecclesiam multis donis dotasse, dona dedisse et in multis restaurasse atque hoc etiam in futuro tempore facere velle.

Ideoque decrevit hunc patronatum eiusque usum interim a nemine violari licere. Propter patris Albani et filii Georgii mortem solummodo Ioannes von Closen coram Pontifice Leone X causam prosecutus est. Interim tamen iam Episcopus Passaviensis Wigelius ius praesentationis familiae von Closen recognovit (die 14 februarii 1517). Leo X tamen abbatem monasterii Sti. Emerani Ratisbonensem, nomine Ambrosium, delegavit, ut tamquam iudex rem definiret.

R. Pontifex bulla, die 9 februarii 1518 data, ius patronatus et praesentationis Ioanni von Closen eiusque heredibus expresse vindicavit et Episcopo Passaviensi interdixit possessionem et usum omnium horum iurium impedire et perturbare. Quod hic ipse in posterum usque ad hodierna tempora observavit. Exstat e. gr. documentum diei 9 octobris a. 1580 de exercitio pacifico huius iuris nec desunt alia quoque documenta exercitii posterioris temporis.

Nunc autem absonum fuisset huiusmodi recursus, recognitiones, examina, iudicia instituere, si quaestio fuisset de mero privilegio gratis a S. Pontifice dato sine oneribus. Privilegium autem patronatus cum oneribus conexum condicionibus illorum temporum perfecte respondet et omnes hos recursus, iudicia et decreta ex parte SS. Pontificum plane explicat.

Nullum ergo dubium esse potest ius patronatus familiae von Closen inde ab initio onerosum fuisse. Quod aliis etiam iuribus amplius probatur, quae patronatibus onerosis concedi solebant ut sunt stemmata propria in ecclesia et in altaribus apponenda, sedes honorificas et – olim saltem – sepulturam in ecclesia habendas aliaque id genus quaeque omnia in ecclesiis patronatus familiae von Closen quoque prostant.

Ultima stirps equitum-comitum von Closen, nomine Josepha, nupsit comiti Jos. Joh. M. Venceslao von Deym. Post mortem uxoris die 18 augusti 1844, comes von Deym heres factus est et sibi suisque et iura patronatus in hereditatem accepit. Omnia huiusmodi iura in fideicommisso familiari comitum von Deym anno 1859 constituto enumerata sunt, cuius documenti exemplar authenticum die 15 aprilis 1888 exaratum in actis huius causae prostat. Inter haec iura, familiae von Deym spectantia, habentur etiam iura patronatus et praesentationis pro ecclesiis et beneficiis variis.

Primo loco indicantur huiusmodi iura pro ecclesia paroeciali loci Arnstorf et quarto loco eadem iura pro beneficio loci Jägerndorf, sed, hoc in casu, exercenda modo alternativo cum Curia episcopali Passaviensi. Quae iura deinde semper in memoriam revocantur et exercentur e. gr. annis 1870, 1874, 1906, 1907 absque ulla contradictione ex parte Curiae Passaviensis. Ergo non solum pars resistens nullam probationem patronatus ex mero privilegio gratuito affert, sed plena probatio et immemorabile exercitium iuris patronatus pro parte recurrente datur.

Ceterum alia documenta non officialia prostant in quibus iura et onera eorumque exercitium pacificum familiarum von Closen et postea von Deym clare affirmantur, inter quae eminent scripta historica: L. H. Krick, Chronologische Reihenfolge der Seelsorgsvorstände des Bistums Passau (1911), 191 s. et L. Kitzing, Arnstorf im Wandel der Zeit, pp. 147-150.

8. Hoc ius patronatus onerosi cum privilegio praesentationis constituit ius quaesitum, quod expresse tantum ab auctoritate competenti i.e. in hoc casu a S. Sede abrogari potest. Reductio onerum quavis ratione effecta, sive quia haec onera ab aliis praestantur sive quia alia ex causa deficiunt, non derogat privilegio, quatenus patronatus speciem contractus inter partes constituit, qui certe certius numquam unilateraliter auferri potest.

Altera ex parte Patronus von Deym numquam ab Episcopo Passaviensi de obligationibus patronatus neglectis monitus est, neque Patronus ipse alias obligationes neglexit modo quo iuxta ius canonicum ius patronatus cessat. Comes von Deym ceterum onera minora, sed ex conscientia Patroni, hucusque quotannis praestat pro ecclesia paroeciali loci Arnstorf. Insuper comes adhuc initio huius saeculi maius sepulchrum pro tota familia in ecclesia construendum curavit et damna hac ex causa ecclesiae provenientia resarsit.

Quoad patronatum beneficii loci Jägerndorf animadvertendum est quod comes von Deym paucis ante annis adhuc fundos pro aedificiis novis contruendis atque pro aliis usibus donavit, hocque non, uti pars resistens asserit, pro novi patronatus creatione facienda, quod evidenter iam a Codice a. 1917 prohibitum erat, sed ex conscientia exercitii veteris patronatus onerosi.

9. De cessatione iuris patronatus onerosi et privilegiorum conexorum comitis von Deym, inter partes tantum i.e. inter Episcopum Passaviensem et, eo mediante, Apostolicam Sedem et ipsum comitem agendum erat, ut ex M.P. "Ecclesiae Sanctae" n. 18, §2 apparet. Si tamen Episcopus privilegia comitis von Deym propter novi temporis adiuncta pro cura animarum in sua dioecesi noxia evasa iudicaverit eorum cessatio iudicio auctoritatis competentis i.e. Sedis Apostolicae subiicienda erat.

10. Ceterum pro hac causa recte diiudicanda iam exstat decisio eiusdem S. Congregationis pro Clericis a. 1971, i. e. post M.P. "Ecclesiae Sanctae" lata, in causa scl. Principis de Liechtenstein, qui patronatibus suis in archidioecesi Vindobonensi exstantibus renuntiare voluit, ut se liberaret a gravibus oneribus ibi de facto urgentibus. Cum Curia Vindobonensis renuntiationem recusavit, S. Congregatio causam definivit adhortando partes "ad conventionem concorditer et alacriter ineundam" et modum cessationis iuris patronatus suggerendo.

11. Omnibus expositis et probatis satis clare apparet Curiam Passaviensem, et Congregationem pro Clericis eius decreta confirmantem, ius violasse in procedendo quatenus unilateraliter privilegia patronatus onerosi abrogaverunt, de cuius cessatione cum Patrono, cuius intererat, agendum erat. In decernendo autem legem violavit quatenus privilegiorum onerositatem absque probatione non recognovit ideoque erronee statuit privilegia ex M.P. "Ecclesiae Sanctae" abrogata esse.

12. Quia tamen res ex se parvi, ex parte recurrentis et resistentis autem magni momenti iudicari potest, suadendum erit Episcopo Passaviensi, ut tractet cum comite von Deym de obligationibus adhuc adimplendis et de cessatione privilegii praesertim praesentationis concordii consilio statuenda, aut, si comes consentire nolit, rem ad Summum Pontificem deferat, ut ipse rem dirimat aut privilegium sua auctoritate abroget.

13. Quibus omnibus in iure et in facto sedulo examinatis et cribratis, Collegium Em.morum Patrum Cardinalium, pro tribunali sedens ac solum Deum prae oculi habens, Christi nomine invocato, circa propositum recursum respondendum censuit uti respondet:

“CONSTARE DE VIOLATIONE LEGIS IN PROCEDENDO ET IN DECERNENDO RELATE AD ACTUM CONGREGATIONIS PRO CLERICIS DIEI 28 MARTII 1987, PROT. N. 180187/I, CONFIRMANTEM DECISIONEM EXC.MI EPISCOPI PASSAVIENSIS DIEI 4 DECEMBRIS 1986”.

Datum Romae, e sede Supremi
Signaturae Apostolicae Tribunalis,
die 2 iunii 1990

(Sign.ti) Achilles Card. Silvestrini,
Praef.
Bernardinus Card. Gantin
Rosalius I. Card. Castillo Lara
Eduardus Card. Gagnon
Alfonsus M. Card. Stickler, Ponens

Card. Aloisius Dadaglio, qui partem
dispositivam decisionis rite
subsignavit, ante integrum sententiae
textum exaratum mortuus est.

ET NOTIFICETUR omnes quorum
interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi
Signaturae Apostolicae Tribunalis,
die 23 octobris 1990

+ Zenon Grocholewski, Secr.
Vincentius Cárcel Ortí, Canc.